



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica**

Ab Anno 561 Usque Ad Annum 633

**Fleury, Claude**

**August. Vind. [u.a.], 1759**

**VD18 90117832**

§.50. Fidelitas Principi debita.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66072](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66072)

Sæculum VII

A. C. 633.

c. 59.

c. 60.

Istud ideo cavetur, quia etiam Episcopos invenire erat, qui acceptis a Judæis muneribus corrumpi se patiebantur. Judæi Apostatæ mancipia a se circumcisa amittant, quæ in libertatem afferantur. Omnes Judæorum parvuli parentibus suis eripiantur, & Monachis, vel aliis notæ Pietatis hominibus, tradantur, Religione Christiana imbuendi.

§. L.

*Fidelitas Principi debita.*

In ultimo Canone Concilii Toletani de Obedientia Regibus debita agitur, quod ut plenius intelligatur, scitu necessarium est, qua via Sisenandus ad Regnum pervenerit. Sisebuto anno 621. fatis functo successit filius Reccaredus II. sed is trium solummodo mensium Rex fuit. Ipso præcoci morte erepto, Gothi Regem elegerunt Suintilam sub Regni auspiciis ob res gestas carissimum; quippe Romanos tota Hispania expulit, & omnium primus universam sibi subjecit. Cum vero anno 625. Ricimerum filium suum infantem Regem proclamari jussisset, in se concitavit indignationem Optimatum, quorum aliquis, cui nomen Sisenandus, Dagoberti Regis Franciæ auxiliis suffultus effecit, ut anno 631. Gothorum Rex salutaretur. Proinde Suintila, postquam

annis

*Isid. Chr. to.*  
*1. Bibl. Lab.*  
*p. 69.*

*Fredeg. c. 73.*



annis decem regnasset, deponitur, & Si-  
 senandus, ut Regnum vacillans stabili-  
 ret, hunc ultimum Canonem in Conci-  
 lio Toletano apponi voluit. Et quis sciat,  
 an non hæc causa præcipue Regem ad  
 convocandum tantum Episcoporum nu-  
 merum impulerit?

Sæculum VII  
 A. C. 633.

Enimvero in hoc Canone Patres il-  
 lorum populorum perfidiam acriter ob-  
 jurgant, qui fidem Regibus suis jura-  
 tam frangunt, eorum Auctoritatem sper-  
 nunt, vel vitæ insidiantur. Deinde ad-  
 dicitur: *Nemo igitur Regnum invadat,*  
*aut Seditioes commoveat, sed ubi Prin-*  
*ceps decesserit, Optimates ex tota Na-*  
*tione congregati cum Episcopis Succes-*  
*sorem eligant.* Hic dispicimus, Reges  
 Gothorum per Electionem ad solium  
 fuisse vocatos, & in eligendo Principe  
 etiam Episcopis suas partes fuisse. Ista  
 exhortatione finita Concilium Anathe-  
 ma terribile pronunciat in quemcunque,  
 qui ausu temerario juramentum Regi  
 præstitum violaverit. Ter exclamatur,  
 toties toto populo respondente, *Ana-*  
*thema Maranatha! & pars ejus sit cum*  
*Juda Iscariote.* Tum Episcopi Regem  
 Sisenandum præsentem, & Successores  
 ejus rogant, ut Justitiam & Moderatio-  
 nem ament, atque minantur, si quis Prin-  
 ceptis futuris temporibus more Tyranno-



Sæculum VII rum sæviat, eum a Jesu Christo anathe-  
A. C. 633. matizandum, & a Deo separandum. Sub-  
 jungunt: *Quod vero pertinet ad Suin-  
 tilam, qui se ipsum criminum suorum  
 horrore Regno privavit, ex consensu  
 Gentis nostræ declaramus, nunquam nos  
 cum ipso, uxore ejus, aut liberis so-  
 cietatem inituros, nec eos ad aliquem  
 bonoris gradum evecturos; imo Bonis  
 suis esse privandos censemus, illis solum  
 exceptis, quæ iis Regis Clementia con-  
 cedit. Eadem poena in Gelam Suintilæ  
 Fratrem pronunciatur. Tale fuit Con-  
 cilium IV. Toletanum, & primum, quod  
 sciam, in quo Episcopi ad Regi-  
 minis Politici partem ad-  
 mittantur.*

*FINIS TOMI OCTAVI.*



INDEX